

gratia justificans Dei sine aliqua interna hominis affectione est per extrinsecum favorem.

R. Quoad 1<sup>um</sup>. *Disparitas* est; cum juxta HIER. in c. 7. Mich. *Amicitia pares aut accipit, aut facit*; amor autem *humanus* sit sterilis et infœcundus, amatus etiam possit esse similis amanti; supponitur in amato, quod gratum est, et gratia homini per extrinsecum favorem habetur: quia vero similitudo cum Deo homini ex se convenire nequit, amor autem *divinus* efficax est et fœcundus; producitur in amato, quo is gratus fiat, et gratia Dei per donum intrinsecum constituitur.

Quoad 2<sup>um</sup>. *Disparitas* est; quia *odium* aversatur objectum ob præsentem in eo malitiam, potiusque intendit auferre aliquid, quam in objecto ponere: amor autem efficaciter prosequitur objectum, et vel bonum in objecto amato supponere, vel in eo ponere debet, ut fiat amore dignum ac proportionatum.

400. *Dico II.* Gratia habitualis non est ipse Spiritus sanctus; sed donum aliquod creatum, a Spiritu sancto distinctum.

*Prob. I.* Distinguitur *donum* a donante, *signum* a signante, *pignus* ab oppignorante, *semen* a seminante, *diffusum* a diffundente: sed gratia habitualis est donum, signum, pignus, semen et diffusa; Deus autem seu Spiritus sanctus est donans, signans, oppignorans, seminans et diffundens, ut ex textibus Scripturæ manifestum est; ergo.

*Conf.* Psal. 83. v. 12. dicitur: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Hic perinde dicitur dari gratia ac gloria: ast *gloria* non est Spiritus sanctus; sed ipsa vitalis et homini propria visio intuitiva Dei per lumen gloriæ perfecta; ergo nec *gratia* est Spiritus sanctus, sed donum aliquod supernaturale a Deo communicatum, quo gratus fiat Deo, et ad actiones salutares potens.

*Prob. II.* TRID. Sess. 6. cap. 7. imprimis *justificationis causam efficientem* statuit Deum, *Spiritum sanctum* autem docet, *partiri singulis mensuram justitiæ, prout vult*: deinde significat, *sanctificationem hominis fieri per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum; charitatem aut, diffundi in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhære; Christianam justitiam vocat primam stolam per Christum donatam, candidam et immaculatam conservandam, et ante tribunal Christi perferendam*: denique Can. 11. anathema decernit dicenti hominem justificari, *exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat*; ergo omnino distinguit gratiam a Spiritu sancto.

*Conf. 1.* Ex SS. PATRIBUS, inter quos CYRILL. ALEX. L. 4. in Isa. or. 2<sup>a</sup>. (opp. t. 2. p. 591. B.) ait: *Formatur autem in nobis Christus, sancto nobis Spiritu divinam quamdam formam per sanctificationem et justitiam indente.* AMBR. L. 6. in Lucam n. 2. inquit: *In eo justificatio Dei est, si non ad indignos et obnoxios, sed ad innocentes per abluionem factos videatur et justos sua munera transtulisse.* AVG. L. 12. Confess. c. 15. n. 20.: *Quantum interest inter lumen quod illuminat et quod illuminatur, tantum inter sapientiam quæ creat et istam quæ creata est; sicut inter justitiam justificantem, et justitiam, quæ justificatione facta est, etc.*

*Conf. 2.* Spiritus sanctus neque est *actus animæ*; cum actus vitales sint

ab intrinseco: nec *habitus* aut qualiscumque forma nobis unita; cum prius per se dici nequeat: posterius autem repugnat, quia nec statui potest unio substantialis et hypostatica, nec accidentalis per aliquod medium, quod non admittitur. Ad hæc, ipsa justitia divina nequit dici *causa formalis* justificationis et gratia habitualis: sed si hæc staret vel substantialiter in Spiritu sancto, vel in ejus possessione; dicendum foret, Dei justitiam esse formalem justificationis causam; ergo.

401. *Obj.* Ipse Deus recte dicitur gratia habitualis: 1<sup>o</sup>. quia 1. Joann. 4. v. 16. dicitur: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet.* 2<sup>o</sup>. quia AVG. L. 8. de Trin. c. 7. n. 2. ait: *Qui proximum diligit, consequens est ut et ipsam præcipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio est... consequens ergo est, ut præcipue Deum diligat.* 3<sup>o</sup>. quia idem ibid. L. 13. c. 17. docet, charitatem non esse tantum donum, sicut patientia donum est; cum simpliciter dicatur: *Deus est charitas, non autem simpliciter: Deus est patientia, sed patientia mea.*

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. D. Deus est charitas substantialis et increata C. accidentalis subd. formaliter N. effective C. Deus est charitas *formalis* in se, tum *essentialis*, quæ communis est toti Trinitati, quia perfectiones omnes divinæ sunt ipsa Dei essentia, ut contra Gilbertum definiit Concilium Rhemense: tum *notionalis*, quæ est propria Spiritui sancto, utpote qui a Patre Filioque per amorem procedit: porro Deus etiam est charitas, sed *causalis* in nobis, idque in omni genere causæ; puta materialis, quia ipse est objectum charitatis nostræ; quasi formalis, quatenus ipse est exemplar ejusdem; efficientis, quia eam in nobis producit; finalis, quia est finis noster et amoris nostri. Porro verba illa: *qui manet in charitate*, non tantum de increata, sed et de creata accipi possunt; qui enim manet in charitate creata, manet quoque in increata, seu Deo; quia ubi illa est, et hæc, seu Deus est, qui creatæ est auctor et conservator.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. S. THOMAS 2. 2. q. 23. a. 2. ad 1. vult, S. AVG. ita loqui, quia charitas, qua proximum diligimus, est quædam participatio divinæ charitatis; sicut dicimur *boni* bonitate, quæ est Deus: quia bonitas, qua sumus boni, est participatio divinæ bonitatis; quem loquendi modum S. Doctor dicit communem fuisse apud *Platonicos*, quorum doctrinis AVG. imbutus fuerit. Verum hoc etiam omisso eadem distinctio, quæ prius, adhiberi potest, asserendo Deum esse dilectionem substantialem et *formalem* in se, *causalem* autem in nobis.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. Si S. AVG. in Libris de Trin. sensit aliter, quam hactenus docuimus; nobiscum tamen convenit in L. de spir. et litt., cujus ibi dicta potius sunt a nobis assumenda; tum quia hunc librum altero posteriorem esse ex L. 2. Retr. c. 15. et 37. colligitur: tum quia eandem sententiam alio in loco adoptat, contrariam autem L. de fid. et symb. c. 9. n. 20. et 21. dubitanter tantum proponit.

R. 2<sup>o</sup>. Ratio, cur Deus simpliciter dicatur *charitas*, patientia autem vel spes tantum nostra, habetur ex eo, quod illa, non perinde ac ista, imperfectionem aliquam includat, sed sit præstantissima dos ac virtus, quæ cæteras omnes transcendit; ex quo postremo etiam Deus potius charitas, quam sapientia, potentia, etc. nuncupatur.

*Inst. 1.* Juxta SS. Patres, præsertim CYRILL. ALEX., sanctificamur per Spiritum sanctum, et non per medium aliquod, vel qualitatem creatam; ergo.

R. D. A. Juxta SS. PATRES per Spiritum sanctum et non per aliquid creatum sanctificamur efficienter C. sanctificamur formaliter *subd.* quatenus ipse Spiritus sanctus per propriam substantiam nos inhabitat, et sic etiam nos suæ naturæ physice participes vel consortes facit C. quatenus ipse sit forma sanctificans, nullamque in nobis mutationem intrinsecam per justitiæ formalis a se distinctæ communicationem faciat N. Cum PATRES negant, justos per creatam qualitatem vel substantiam sanctificari, non excludunt a sanctificatione gratiam, dona et charismata Spiritus sancti, sed ipsum duntaxat Spiritum sanctum non esse *creaturam* ostendere conantur.

Patet id tum ex *scopo* præfixo, qui erat ex sanctificatione, quæ Spiritui sancto appropriatur, probare ejus divinitatem et eandem cum Patre et Filio substantiam: tum ex eorum verbis; CYRILLUS enim L. 9. in Joann. (opp. t. 4. p. 810. E.) *Quomodo divinæ naturæ participes erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus annumeratur.* ATHANAS. in ep. 1. ad Serap. n. 24.: *Porro si creatura esset Spiritus sanctus, nulla nobis in ipso esset Dei participatio.* etc.

*Inst. 2.* Spiritus sanctus juxta eosdem PATRES, præ. SS. ATHAN. loc. supra cit. n. 23., HIER. in c. 4. ep. ad Ephes. v. 30., CYRILL. de Trinit. dial. 7. (opp. t. 5. p. 1. p. 638.), est sanctitas ipsa et velut sanctificans forma, qua justus sumus; quia Spiritus sanctus sigillum ipsum dicitur, quo fit imago, signaculum et similitudo Dei in nobis; ergo.

R. N. Ass. ad prob. D. Spiritus sanctus dicitur sigillum in genere causæ efficientis C. in genere causæ formalis N. Quantumvis verba PATRUM secundum se spectata videantur plus aliquid significare, id tamen minime videtur admittendum; tum quia esse *creatum* duntaxat removetur a causa efficiente et Spiritu sancto: tum quia *missio* Spiritus sancti invisibilis non habetur per solam ejus præsentiam et substantialem inexistentiam in justo, utpote quæ ratione immensitatis necessaria est respectu omnis entis; sed fit per mutationem intrinsecam hominis, quæ a gratia sanctificante provenit; tum quia alias ipsa divinitas et sanctitas, qua Spiritus divinus sanctus est, esset forma sanctificationis contra apertam SS. Patrum et Concilii TRID. doctrinam.

402. *Dico III.* Gratia habitualis est donum physice permanens.

*Prob. I.* SCRIPTURA per gratiam habitualem dicit Spiritum sanctum habitare in nobis, et corda nostra constituere templa sua et sacraria: *inhabitatio* autem dicit permanentiam physicam; unde et S. Acc. hanc gratiam vocat gratiam *inhabitationis*. Deinde gratia hæc exprimitur nomine *seminis, pignoris, signaculi, unguenti, fontis*, etc.; quæ omnia stabile quid ac physice permanens significant. Demum in justificatione dicimur *regenerari, renasci, participare naturam divinam*, fieri et esse filii Dei; quod rursus sine stabilitate et permanentia intelligi nequit.

*Prob. II.* Certum est 1º. ex TRID. Sess. 5. Can. 5. per gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum peccati originalis remitti, et tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.

2º. Hanc definitionem esse intelligendam etiam de *parvulis*; tum quia

TRID. *ibid.* can. 3. definierat, Christi meritum per baptismi sacramentum rite collatum tam adultis, quam parvulis applicari: tum quia Can. 4. decrevit, parvulos baptizandos esse in remissionem peccati originalis.

3º. Remissionem peccatorum æque ac justificationem non fieri per solum favorem extrinsecum, aut per solam imputationem justitiæ Christi, exclusa gratia et charitate, quæ nobis inhæreat, ut ex TRID. Sess. 6. Can. 11. supra recitavimus.

4º. Parvulos secundum legem Dei ordinariam esse incapaces actualis gratiæ; tum quia hoc principium aliunde est receptissimum in Ecclesia; tum quia, sicut secundum AUG. L. 1. de pecc. mer. c. 17. nullos actus culpabiles eliciunt, sic nec habent laudabiles; tum quia nequidem habent actum credendi, ut idem AUG. l. cit. c. 19. tradit, et TRID. Sess. 7. de bapt. Can. 13. supponit. Ex his porro tanquam certum

5º. Apparet, gratiam justificantem nequidem in actibus *physice* præteritis et *moraliter* perseverantibus stare, atque hinc ab actibus omnino esse distinctam.

403. *Obj.* Scriptura specialiter tribuit Christo gratiam permanentem, ut constat ex Joann. 1. v. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est*; ergo non est permanens in puris creaturis.

R. N. Cons. Quamvis etiam permanens in justis asseratur gratia et Dei inhabitatio, tamen permanentia ista *speciali modo* Christo adhuc relinquatur, qui modus in eo stat, quod Christus sit Deus; quod in eo tanquam in fonte fuerit gratiæ plenitudo; quod ratione unionis hypostaticæ illi debita fuerit omnis gratia.

*Inst. 1.* Tempore INNOCENTII III. et CLEMENTIS V. in Conc. Viennensi probabile fuit, gratiam non infundi et permanere; quia Pontifices illi admiserunt contrarium tantum ut probabile, vel ut probabilius: TRID. etiam nunquam utitur illis vocibus *physice* permanens, habitualis etc.; demum potest intelligi de forma moraliter inhærente, sicut idem Concilium interpretatur loquens de peccato *originali*; ergo ex Conciliis pro nostra conclusione nihil certi eruitur.

R. Quoad 1º. N. A. Discrimen est inter quæstionem *absolutam* et simplicem, an dentur habitus infusi respectu hominum; et inter quæstionem *restrictam*, an habitus infundantur parvulis in baptismo. De prima nec INNOC., nec CLEMENS loquebantur, testaturque SUAR. L. 6. de gr. c. 3. nulum a se inventum Theologum antiquum, qui illam negarit: quin, dum INNOCENTII secundam duntaxat tractat, videtur supponere de adultis, et de prima nunquam fuisse dubium inter Theologos; quod ipsum supposuisse videtur CLEMENS cum Concilio Viennensi, eligens opinionem asserentem, infundi parvulis in baptismo virtutes, ex hac ratione: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum pariter omnibus applicatur, opinionem secundam*, etc.

Quoad 2º. N. Cons.; quia modus loquendi a TRID. adhibitus sufficit ex dictis ad certitudinem faciendam, quamvis permittatur Concilium non intendisse hanc veritatem ut *dogma fidei* definire; præsertim quia PALLAVIC. P. 1. hist. Conc. Trid. L. 8. c. 14. testatur, quod, cum postulatum esset ab aliquo, ut expressius declararetur justificationem fieri per habitum infu-

sum, PATRES responderint, id satis intelligi ex ipsa voce *inherentia*, quæ proprie convenit habitibus, non vero actibus.

Quoad 3<sup>um</sup>. *N. A. Disparitas* de pecc. originali est; quia, quæ prædicata tribuuntur gratiæ a TRID., ex propria et obvia significatione designant permanentiam physicam: talia autem non sunt prædicata *originali* peccato attributa, quæ erant illud esse propagatione transfusum, et inesse unicuique proprium. Per ea enim TRID. intendit damnare errorem dicentium, peccatum originale non esse unicuique proprium, neque singulos inficere, sed solum esse peccatum inficiens Adamum; ad hoc autem impertinens est inhærere *physice*: nam certum est de fide, dari peccatum habituale proprium et inficiens peccatorem; nihilominus juxta communem Theologorum nihil est *physice* et permanentiter inhærens, in quo talis macula constituatur.

*Inst. 2.* Peccatum habituale est actus *physice* præteritus, et moraliter perseverans; item homo fit *beatus* per actum suum; ergo et gratia habitualis potest esse actus moraliter duntaxat perseverans, et homo fieri gratus Deo per actum, seu dilectionem suam.

R. *N. Cons.* Quoad 1<sup>um</sup>. *Disparitas* est; quia præter jam dicta *peccatum habituale* moraliter spectatum non fit novorum actuum principium, quos natura ex se elicere nequeat: *gratia* autem est novum saltem radicale principium operationum supernaturalium; quod utique debet esse *physicum*.

Quoad 2<sup>um</sup>. *Disparitas* est; quia *beatitudo* est possessio, quæ in actu consistit, quique necessario *physice*, non autem moraliter tantum existit: *justitia* autem gratum faciens est jus potius ad possessionem, quam possessio; nec jus autem in actu consistit, nec actus hominis viatoris possunt esse *physice* perpetui.

## ARTICULUS II.

## QUÆNAM SIT ESSENTIA GRATIÆ HABITUALIS?

404. *Dico.* Gratia habitualis *realiter* distinguitur ab habitu charitatis.

*Prob. AUCTORITATE. SCRIPTURA* 2. ad Cor. 13. v. 13. inquit: *Gratia D. N. J. C., et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Et 1. ad Tim. 1. v. 14. *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide et dilectione.* Item ad Ephes. 6. v. 23. *Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et D. N. J. C.; gratia cum omnibus, qui diligunt D. N. J. C.*

*CONC. VIENNENSE* loco cit. ait infundi in baptismo *informantem gratiam et virtutes*: TRID. Sess. 6. c. 7. docet in justificatione renovari hominem per voluntariam susceptionem *gratiæ et donorum*; et can. 11. damnat dicentes justificationem fieri sola remissione peccatorum, *exclusa gratia et charitate*: MOCUNT. ann. 1349. celebratum c. 7. (Labb. t. 14. p. 674. B.), inquit: *Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, et per Spiritum S. una cum fide simul charitatem in corde diffusam ac spem accipit.* Demum Catechismus TRID. de baptismo, postquam dixisset gratiam infundi, quam splendorem quendam et lucem appellat, subjungit: *Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.*

DIONYS. L. de Hier. Eccl. c. 2. p. 1<sup>o</sup>. *statum divinum et vitam* prærequirit, *ante operationem supernaturalem*, sicut prius necessarius est *status vitæ humanæ, quam humana operari possimus*; adeoque ante charitatem tanquam virtutem operativam sentit nobis dari gratiam, qua in statu viventium *vita divina* constituamur, ut opera viva connaturaliter exercere valeamus. Accedunt recitata præced. art. testimonia S. AUG., quibus justitiam seu gratiam justificantem distinguit a charitate, eamque huic æque ac fidei opponit.

*Prob. RATIONE.* Habitus charitatis neque ex suo conceptu *generico*, neque ex conceptu *speciali* talis habitus, qui nunc datur, per se et formaliter reddit hominem intrinsece sanctum, divinæ naturæ participem, amicum et filium Dei, etc., quæ sunt munera gratiæ sanctificantis. Non 1<sup>um</sup>. quia *habitus*, ut præcise est *charitatis*, solum dicit virtutem, quæ elevat voluntatem ad dilectionem Dei propter se, ut habitus fidei elevat ad actus fidei supernaturales: sed hoc ex suo conceptu non dicit facere sanctum, participem divinæ naturæ, amicum et filium Dei; tum quia, quod hominem facit potentem, ut diligat regem propter se, non facit hoc ipso eum dignum, ut a rege amicabiliter diligatur et in filium adoptetur: tum quia omnipotentia Dei specialiter applicata potest elevare hominem ad Deum propter se diligendum, quin illa gratiæ munera præstet; ergo. Non 2<sup>um</sup>. quia *specialis* illa virtus charitatis, quæ ex conceptu ipsius habitus non provenit, debet asseri ex certo privilegio divinitus concesso: hoc autem probari nequit, ut ex objectionum solutione constabit; ergo.

*Conf. 1.* Tria maxime divina, quæ in statu supernaturali participantur, sunt natura, cognitio, amor: sed *cognitio divina* ab homine ex parte intellectus participatur per fidem in via, et per visionem in patria; *amor* ex parte voluntatis participatur per charitatem; ergo *natura divina* ex parte animæ et substantiæ quatenus a facultatibus et operationibus distinctæ participatur per id, per quod homo renascitur, fit filius Dei et hæres: sed id, per quod homo renascitur, et filius ac hæres Dei fit, est gratia; ergo.

*Conf. 2.* Gratia dat esse divinum, et est fundamentum primum totius supernaturalitatis: sed charitas non dat esse, sed *operari* divine; nec est primum supernaturalitatis fundamentum, cum tanquam virtus appetitiva præsupponat etiam fidem et cognitionem supernaturalem; ergo.

*Conf. 3.* Reliquæ virtutes infusæ omnes solum elevant hominem ad suos actus *speciales*; quamvis aliquæ possibiles sint, quæ formaliter etiam sanctificant; ergo congruum est, ut idem dicatur de habitu charitatis, ex hypothese quod non adsit pro disparitate urgens ratio, quod nunc examinabitur.

405. *Obj. 1.* Eosdem effectus, qui gratiæ communius tribuuntur, charitas teste Scriptura etiam proprios habet: nam charitas 1<sup>o</sup>. expellit peccatum; Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. Joann. 3. v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte.*

2<sup>o</sup>. Hominem facit Deo gratum et dilectum; Prov. 8. v. 12. *Ego diligentes me diligo*; et Joann. 14. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo.*

3<sup>o</sup>. Reddit nos sanctos; ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso..... ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.*